

intelligi quidquam, nec quaeri, aut disputari potest. Quod si essent falsae notitiae (ἐννοίας enim notitias appellare tu videbare), si igitur essent hae falsae, aut ejusmodi visis impressae, qualia visa a falsis discerni non possent: quo tandem his modo uteremur? quo modo autem, quid cuique rei consentaneum esset, quid repugnaret, videremus? Memoriae quidem certe, quae non modo philosophiam, sed omnes vitae usus, omnesque artes una maxime continet, nihil omnino loci relinquitur. Quae potest enim esse memoria falsorum? aut quid quisquam meminit, quod non animo comprehendit, et tenet? Ars vero quae potest esse, nisi quae non ex una, aut duabus, sed ex multis animi perceptionibus constat? quas si subtraxeris, quomodo distingues artificem ab inscio? Non enim fortuito hunc artificem dicemus esse, illum negabimus; sed quum alterum percepta et comprehensa tenere videmus, alterum non item. Quumque artium aliud ejusmodi genus sit, ut tantummodo rem cernat; aliud, ut moliatur aliquid et faciat: quomodo aut geometres cernere ea potest, quae aut nulla sunt, aut internosci a falsis non possunt; aut is, qui fidibus utitur, explere numeros, et conficere versus? Quod idem in similibus quoque artibus continget: quarum omne opus est in faciendo atque agendo. Quid enim est, quod arte effici possit, nisi is, qui artem tractabit, multa perceperit?

Acad. post. I. 8. — Quamquam oriretur a sensibus, tamen non esse iudicium veritatis in sensibus, (Socratici censebant.) Mentem volebant rerum esse iudicem: solam censebant idoneam, cui crederetur; quia sola cerneret id, quod semper esset simplex et uniusmodi, et tale, quale esset. Hanc illi *ideam* appellabant, jam a Platone ita nominatam; nos recte *speciem* possumus dicere. Sensus autem omnes hebetes et tardos esse arbitrabantur, nec percipere ullo modo res eas, quae subjectae sensibus viderentur: quae essent aut ita parvae, ut sub sensum cadere non possent; aut ita mobiles et concitatae, ut nihil unquam unum esset